

## PARS SECUNDA.

### CAPUT XIII.

#### DE ASSISTENTIA CANONICORUM EPISCOPO PRÆSTANDA.

I. Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12, de reform. præscribit, ut canonici « omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistere et inservire. »

II. « Cum episcopus rei divinæ peragendæ causa, ad ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere; eumque cappa indutum... ad ecclesiam progredientem comitari et deducere. In redeundo idem ordo servatur » (1).

III. Episcopo in ecclesia cathedrali pontificalia obeunti canonici omnes assistere seu præsentem esse tenentur, salvo tamen singulorum legitimis vacationibus (2).

Quoad ordinationes Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 8, de reform. præscribit, ut « ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibus, que ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur. » Omnes igitur canonici, legitime non impediti, ordinationi sacrorum ordinum in cathedrali assistere tenentur; quod intelligendum est, sive Episcopus proprius, sive suffraganeus aut extraneus ordinationes

(1) Cæremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 15, n. 1 et 11, Vid. Praxis Pontificalis tom. 1, n. 118-140.

(2) S. C. C. 1573, dub. 1, *Tudertina*; apud Zamboni tom. 1, *Canonici*, § VI, n. 2; Bened. XIV, Inst. 107, § IX.

faciat, sive ordinatio solemniter in cantu, sive sine cantu peragatur (1). Episcopo autem minores ordines in sua cathedrali ministranti aliqui saltem canonici assistere tenentur (2).

Si Episcopus in cathedrali solemniter cum pluviali et mitra prædicet, vel cum cappa concioni intersit, canonici collegialiter intervenire, eique assistere tenentur (3).

IV. Canonici non tantum tenentur præsentem esse, sed Episcopo etiam assistere in omnibus functionibus, in quibus per cæremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum præscribitur; non tamen in aliis, uti in missis privatis, nisi adsit consuetudo (4), neque in completorio et matutino, neque in processionibus illis, in quibus cappa indutus incedit.

Hæc assistentia ita debita est ex parte canonicorum ut Episcopus eos non tantum sub pœna omissionis distributionum, sed sub alia arbitrio suo, et etiam per censuras compellere possit (5). Debita etiam est ex parte Episcopi, ita ut canonicos negligere et præterire, aliosque qui non sunt de capitulo, assumere non possit (6); nec ex canonicis illos quos voluerit, eligere valeat, sed in omnibus ordinem per cæremoniale et ecclesiæ consuetudinem præscriptum servare teneatur (7).

V. Extra civitatem episcopalem canonici Episcopo in ecclesiis diocesis assistere non tenentur, neque ad hoc cogendi sunt (8).

Extra cathedralem in aliis ecclesiis civitatis episcopalis ejusque suburbiorum canonici Episcopo assistere tenentur (9), quandoque Episcopus ob publicam aliquam solemnitatem, vel ad

(1) S. R. C. 6 Sept. 1698, *Veliterna*, 3; 23 Maji 1835, *Compostellana*; S. R. C. 11 Jan. et 2 Aug. 1727, ac 19 Jun. 1728, *Giennen*, apud Pallottini, *cæremoniale*, n. 6-9.

(2) S. C. C. 1582, *Burgen*, dub. 8, apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § VI, n. 7.

(3) S. R. C. 6 Ap. 1647, *Ferentina*; 3 Dec. 1701, *Cularitana*. Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 172-173.

(4) Praxis Pontificalis tom. 1, n. 222.

(5) S. R. C. 23 Maji 1648, *Cusentina*; Catalanus in *Cærem. Ep.* lib. 1, cap. 26; § 1, n. 2; Pasqualigus q. 1214.

(6) S. R. C. 2 Aug. 1631, *Isernien*; 26 Maji 1635, *Oscen*; 11 Jul. 1643, *Massanen*, 2.

(7) S. R. C. 18 Nov. 1606, *Asten*.

(8) S. R. C. 13 Jul. 1658, *Ragusina*, 2; 20 Jun. 1665, *Olmucensis*, 5; 23 Mart. 1686, *Nolana*, 3.

(9) S. R. C. 23 Mart. 1592, *Hispalen*, 2; 3 Aug. 1602, *Egitanien*, 4; 10 Jan. 1604, *Salamantina*; 16 Sept. 1645, *Grossetana*, 3; 19 Dec. 1665, *Aquilana*; 6 Aug. 1763, *Dertusen*, 11.

celebrandum, vel ad divinis assistendum, vel ad ordines conferendos aliasve functiones episcopales exercendas ad easdem accesserit (1). Extra cathedralem tamen omnes canonici in corpore assistere non debent, sed illi soli, qui Episcopi ministerio necessarii sunt, scilicet tres ad assistendum, et alii duo in officio diaconi et subdiaconi (2); et curandum semper est, ne ecclesia cathedralis debito cultu et officio defraudetur, neve chori servitium deseratur: ita ut in cathedrali tot canonici et ministri semper remaneant, quot satis sunt ad divina celebranda officia (3); et si numerus canonicorum parvus sit, ipsi ad hanc assistentiam cogendi non sint: in quo casu si aliqui tantum canonici Episcopum comitentur, hi cum aliis sacerdotibus non canonicis Episcopo ministrare tenentur (4).

In aliis ecclesiis dignitates et canonici ecclesiae cathedralis assistentes, praecedunt dignitates et canonicos collegiatae, matricis alteriusve ecclesiae (5); et assistentia in omnibus dioecesis ecclesiis parochialibus, collegiatis et regularibus quantumvis exemptis pertinet ad dignitates et canonicos ecclesiae cathedralis, si cum Episcopo fuerint (6), non uti singuli seu singulariter, et modo ab Episcopo invitati fuerint (7). Licet enim canonicorum sit, Episcopo etiam extra cathedralem inservire; Episcopus tamen illos ibidem omnino habere non debet, nec illi in alienis ecclesiis sponte sua se ingerere tenentur, sed ab Episcopo invitandi sunt (8).

VI. Episcopo suffraganeo, vel alii ab ordinario delegato, cele-

(1) S. R. C. 5 Jul. 1603, *Tifernaten*; 10 Jan. 1604, *Salamantina*; 7 Jul. 1612, *Etoren*; 11 Aug. 1646, *Perusina*; 18 Dec. 1660, *Sulmonen*; 22 Jan. 1664, *Surrentina*.

(2) S. R. C. 17 Mart. 1607, *Lamacen*, 3; 20 Jun. et 14 Nov. 1654, *Perusina*; 13 Jul. 1658, *Ragustina*, 2; 23 Mart. 1686, *Nolana*, 2; 10 Dec. 1740, *Melphiten*, 5.

(3) S. R. C. 23 Mart. 1592, *Hispaten*, 2; 5 Jul. 1603, *Tifernaten*; 17 Mart. 1607, *Lamacen*, 3; 16 Sept. 1645, *Grossetana*, 3; 24 Nov. 1663, *Surrentina*; 19 Dec. 1665, *Aquilana*; 6 Aug. 1763, *Dertusen*, 10; 7 Dec. 1844, *Sancti Severi* 1.

(4) S. R. C. 21 Mart. et 31 Jul. 1665, *Labacen*.

(5) S. R. C. 23 Mart. 1592, *Hispaten*, 2; 7 Maji 1639, *Justinopolitana*; 20 Ap. 1641, *Algaren*; 24 Jul. 1660, *Camplensis*; 19 Jan. 1743, *Atiphana*.

(6) S. R. C. 10 Maji 1608, *Bononien*; 15 Jul. 1617, *Brundustina*; 20 Nov. 1628, *Fesulana*; 20 Jul. 1630, *Thelesina*; 17 Sept. 1639, *Urbevetana*; 19 Jan. 1743, *Atiphana*; 16 Sept. 1747, *Avenionen*, 1; 15 Jul. 1752, *Casaten*, 10; 19 Maji 1786, *Melevitana*, 22.

(7) S. R. C. 12 Mart. 1735, *Surrectina*, 4; 19 Jan. 1743, *Atiphana*, 2 et 3; 15 Jun. 1789, *Melevitana*, 22.

(8) Carli, biblioth. liturg. *Assistentia*, decr. 1.

branti aut functiones Episcopales nomine proprii Episcopi exercenti, dignitates et canonici ecclesiae cathedralis assistere, debitaque obsequia praestare tenentur (1). Non assistunt autem duo diaconi, sed dignitas vel canonicus cum pluviali pro sacerdote assistente et duo alii canonici pro diacono et subdiacono (2).

## CAPUT XIV.

## DE CANONICIS DEPUTATIS IN SPECIALIBUS CASIBUS.

## § 1. De duobus canonicis in servitio Episcopi.

I. Decretales Gregorii IX, lib. III de clericis non residentibus tit. IV, can. VII *De cetero* praescribunt: *Statuimus ne canonicis donec in servitio tuo fuerint, quicquam subtrahi debeat vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur. Nisi forte sint victualia, quae non consueverunt absentibus exhiberi.* Et can. XV: *Ad audientiam nostram pervenit, quod cum in Meldens, ecclesia quaedam sit constitutio vallata juramento et auctoritate Sed. Apost. confirmata, ut canonici, qui non resident in eadem, suarum priventur fructibus praebendarum, illis exceptis, quos infirmitas excusaret, sive in Apostolicae Sedis servitio contingeret deteneri. (Et infra). Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiae memoratae, in tuo servitio existentes, suarum fructus integre percipiant praebendarum; cum absentes dici non debeant, sed praesentes, qui tecum pro tuo et ipsius Ecclesiae servitio commorantur.*

II. Vi horum Decretalium duo canonici, in servitio Episcopi existentes, integros fructus praebendarum seu canonicatus percipiunt, etsi non resideant, nec chorum frequentent, non autem victualia seu distributiones quotidianas (3): hoc tamen privilegium ad plures, si in servitio Episcopi fuerint, non extenditur, ut liquet ex praefato canone XV, quo numerus ad duos restrictus est (4).

(1) S. R. C. 21 Feb. et 20 Mart. 1604, *Bracharen*.

(2) Caerem. Ep lib. 1, cap. 8, n. 4; S. R. C. 9 Maji 1606, *Cesaraugustana*; 1 Sept. 1607, *Bacharen*; 7 Aug. 1627, *Aquilejae*, 2.

(3) Pallottini, *Canonici*, § III, n. 28 et seqq.

(4) S. R. C. 7 Jan. 1640, *Avenionen* apud Zamboni tom. 1, *beneficiatus*, § IV.